Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2681
Quelle:
Copyright:



IV. *fol.* 23. *Incipit lectura magistralis et bona in Pater noster Parisius lecta et edita.* Non pertingit ultra: *Adveniat regnum tuum.*

V. *fol.* 40. *Collatio bona facta Parisius ad clerum de beato Johanne Baptista* in illud Isaiae c. 49. *Dedi te in lucem gentium.*

VI. *fol.* 41. *Collatio bona de conceptione virginis facta Parisius* in illud Ps. 45. *Fluminis impetus laetificat* &c.

VII. *fol.* 42. p. 2. *Sermo bonus francisci de roma* in illud ad Philipp. c. 4. *Sic state in Domino karissimi* &c. *Francisci* hujus *de Roma* et *Jacobi de Padua*, cujus est *Sermo* sequens *de S. Francisco*, nec *C. Egass. Bulaeus* in *Hist. Univ. Paris.* nec *J. Launojus in Acad. Paris. illustr.* meminere, et tamen ad calcem legitur: *Explicit sermo de sancto francisco. factus in conventu fratrum minorum parisius Anno domini M°. CCC°. XLV°. per Jacobum de padua in arcium Medicine ac theologie facultatibus professorem paris.*

VIII. *fol.* 90. *Sermo magistralis et bonus de omnibus sanctis.* Ad calcem dicitur dictus ab eodem *Jacobo de Padua 1344. in Conventu Minorum Parisiis*, ut adeo vir hic de O. M. fuisse videri queat, licet nec in *Waddingi Scriptoribus* eum inveniam.

IX. *fol.* 102. sequitur *Sermo* ejusdem *de Sancto Stephano*, sed dictus 1344. ibidem in *Conventu fratrum Predicatorum.*

X. *fol.* 112. Brevis Dissertatio *de generatione Apum.* Utrum scilicet fiant per propagationem vel per putrefactionem.

XI. *fol.* 113. *Apparatus domini Johannis Andree super materia consanguinitatis et affinitatis.* Incipit: *Circa lecturam arboris* &c. et multoties sub ipsa typographiae initia c. figg. ligno incisis excusus est, ut norunt librorum curiosi.

XII. *fol.* 116. et 124. *Sermones de S. Johanne Bapt.* et *de S. Bernardo* rursus tribuuntur *Jacobo de Padua*, habiti 1348. hic *in Coenobio S. Bernardi*, ille *in Conventu Minorum.*

XIII. *fol.* 151. p. 2. *Incipit epistola beati eusebij ad damasium portuensem episcopum. et ad theodonium* (Theodosium) *romanorum senatorem. de morte gloriosissimi confessoris Jeronimi doctoris eximij.* Epistola haec commentitia cum aliis duobus ejusdem furfuris opusculis, scilicet *Augustini ad Cyrillum Hierosol. de Magnificentiis Hieronymi*, et *Cyrilli ad Augustinum de Miraculis Hieronymi* jam primis inventae Typographiae annis prelum occupavit, et recentissime habetur *Opp. Hieronymi edit. Vallars.* T. XI. *Veronae* 1742. col. 288. f. Non esse *Eusebii Cremonensis*, amici *Hieronymi* post *Erasmum* emunctiores Critici omnes contra *Trithemium* sentiunt; sed neque *Oudinus* satisfacit T. II. *col.* 387. eam ipsi *Damaso Portuensi*, qui dein *Formosus* Papa fuit, adtribuendo. Foetus certe Sec. IX. junior est.